



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Parallelæ Geographiae Veteris Et Novae

Briet, Philippe

Parisiis, 1649

Nvm. 2. Qualitas.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13167

306 DE MAGNO REGNO HVNGARIAE,

funt, & quicumque ex iis in pugnâ fugit multatur seuerissimè. Ha-
bentur vulgò perfidi, & ad res nouas propensi, iugum ferre ne-
scij, quod nec pati possunt, nec excutere. Versiculus quoque ab
hæreticis in Monachos detortus eos arguit esse vino deditos.
Mulieres hîc supra modum coluntur à viris, & primæ mensis assi-
dent. Ritum Græcum sequuntur, & Patriarcham Constantino-
politanum, cùm venit eis bene precaturus, magno cum honore re-
cipiunt.

NVM. 4. *Politia.*

OLIM parebat Hungaro, quod tamen aliqui Poloni negant,
aiuntque in suo thesauro asseruari instrumenta quibus probent
totum hunc tractum iuris esse Polonici. Olim hic Princeps dice-
batur *Ban*, cui *Vaiuoda* subditus erat, sed excusso iugo Hungariæ,
Princeps prætulit *Vaiuodæ* nomen, quod summum Ducem signi-
ficat. Nunc Turcam agnoscit, & ei pensitat 120. mille libras Fran-
cicas. Eligebatur olim à populis, & confirmabatur ab Ottomano,
nunc quem maximè optat eligit, & præficit. Ex annuis vestigali-
bus conficit 250. millia Sultanorum de sequins. Olim educebat 50.
equitum millia, nam omnes equites, pedites nulli; in præsentia vix
10. millia conscribere potest.

§. 2. *De Multauia, vulgò Moldauie.*

NVM. 1. *Nomen.*

NOMEN accepit à Multauo Fl. vnde vox Moldauia detorta est.
Nominatur aliter *Valachia Cisalpina*, scilicet ab excursione
montis Hæmi, qui hîc interruptus Istro, ac denud quasi resur-
gens Carpatho monti committitur. Dicitur & *Valachia*, seu *Bogda-
nia Nigra*, à frumento nigriore quod hîc enascitur.

NVM. 2. *Qualitas.*

VALLIBVS fertilissimis est distincta, ac valde riguis. Vinum
hinc quoque generosum ad Polonos defertur. Neque desunt fo-
dinæ auri, atque argenti, sed negliguntur. Turcæ hinc quoque
equos fortissimos, & laboriosissimos educunt.

NVM. 3. *Mores.*

PAYLO urbaniores sunt Valachis. Fortissimi equites, & egre-